



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput XII. Altissima æstimatio Vocationis. Modus celebrandi Natalem anniversarium ejusdem Vocationis, qui Natali cujusvis statûs applicari potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132



C A P V T XII.

Altissima æstimatio Vocationis.
Modus celebrandi Natalem anniversarium ejusdem Vocationis, qui natali cujusvis statûs applicari potest.

Vocationem Martinus noster non aliter vocavit, quàm adoptionē quandam specialem in cætum filiorum DEI, per avulsionem à statu vilitatis, & assumptionem sui ad eximiam dignitatem & opulentiam statûs, ad securitatem & tranquillitatem. hanc ut æstimare, ità omnibus modis firmare, virtutibusque nobilitare, ac deinde pro tanta doni excellentia DEUM benedicere, totâ Quindenâ, sive dierum quindecim celebratione in usu habuit. septem dando præparationi, octavum diem solennitati, septem reliquos gratiarum actioni & commendationi. Et præparationis quidem dies ità instituit, ut per singulos & aliquid in se peculiariter collatione horariâ emendaret ac emundaret, & peculiari aliquâ dote statûs ac vocationis suæ, admirandâ, æstimandâ & amandâ, aliquid temporis consumeret, & nihilominus contra tanti Boni corruptelas anti-

dota provideret. Cùmque *Primum* diem tribuisset excellentissimæ statûs sui dignitati, per quam se ad consortium Divinitatis extolli sentiebat; statuebat firmissimè cavendum sibi deinceps esse, nè splendorem tantum tamque sublimem, vilitate nativâ & animi ad res infimas dejectione obscuraret.

Secundum diem dabat jucundissimis Statûs delicijs, per innumeros Divinæ dulcedinis saporis & gustus se diffundentibus, in quibusvis actibus, negotijs, temporibus ac locis. & cavebat nè quando siliquis terrenarum voluptatum sva-
vitas tanta turbaretur.

Tertiò assignabat opulentiam Statûs inexhaustam, tantum adjumentorum & instrumentorum secum afferentem, quantum abunde sufficit ad affecutionem Summi Boni & depulsionem omnis mali. & providebat diligenter nè quâ viâ ad diripiendam vel imminuendam se se insinuaret tanquam fur egestas.

Quartò determinabat libertatem ejusdem Statûs plus quàm auream, eximentem à legibus concupiscentiæ & seculi, absolventemque à servitute Diaboli ac peccati, & muniebat se fortiter adversus insidias & violentias, per quas sibi misera servitus strueretur.

Quintò afferebat inæstimabilem securitatem, per quam in adjutorio Altissimi, imò in ipso

ipſo quodammodo corde DEI habitantes, nihil habeant metuendum niſi ipſi propriâ voluntate abſtracti & illecti inde ſe eijciant, & per ſummam inſipientiam, & per ſumma pericula in ludendos ac lugendos æternùm caſus præcipitent, adverſus quam temeritatem, vehementer ſe ipſum animabat.

Per *Sextum*, tranquillitatem placidiſſimam tractabat, quam in ſtatu hoc conſtituti aſſequuntur, ut nauta in littore aſſurgentes fluctus & procellas ridens, aut miles poſt vallum murumve aheneum hoſtilis gladij fulgura & ictus deſpiciens; aut Rex in thalamo pervigili, & inviſtâ fidiffimorum armatorum cinctus cuſtodiâ ſvaviter requieſcens. & proponebat cum turbatoribus tanti boni nihil ſe deinceps velle admittere commercij.

Septimum tandem firmitate invariabili occupabat, per quam tanto pondere quiſque ſuo ſtatui affigitur, ut tanquam ei adnatus aut concretus divelli ab eo ſinè violenta revulſione ægrè poſſit, oppoſitamque ei firmitati deſultoriam levitatem ac mutabilitatem deteſtabatur.

Exorto autem ipſo *die Natali*, in Oratione matutina, Actum *Adoptionis* itâ celebrabat, ut primò per abnegationem, ex memoria & affectu expungeret populum ſuum & Domum Patris ſui, omnibùſque ad ſtatum ſecularem & vilita-

72 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

vilitatem terrenam quocunque modo spectan-
 tibus, se abdicaret; tum nitidissimâ castimo-
 niæ stolâ corpus & animum convestiret, eique
 ex DEI promptuarijs oblata vestimenta & cal-
 ceamenta superindueret, & his auro radiantio-
 rem Obedientiæ torquem adijceret, tum renes
 Regio continentia cinctu adstringeret, femori-
 que gladium fortitudinis affigeret, & manu ex-
 ornatâ anulo æternaturæ Charitatis, caput de-
 nique gratiâ & cœlestium veritatum gemmis co-
 ronaret, ac tandem pijssimo osculo dato Divinæ
 manui hæc omnia conferrenti, & sacro silentio
 magnitudinem in se collati beneficij veneratus
 ad Divinum Sacræ Eucharistiæ epulum accede-
 bat, nec jam tanquam sub vili tecto sui mapalis,
 ut aliàs hospitem excepturus, sed tanquam su-
 per mensam ejus, in Regno ejusdem convivatu-
 rus. A sacra mensa recedens in conspectu
 Adoptantis DEI, reliquum diei consumebat,
 applicans se ad horaria Officia ac negotia, non
 jam ut advena aut familiaris domesticus, sed ut
 in Domo DEI filius familias, gloriæ paternæ
 promovendæ ac tuendæ studiosissimus æmula-
 tor ac zelator.

Septendium subsequens, sive hebdomas
 gratiarū, non minùs devotè ab eo peragebatur.
Primam ejus diem cum Christo Domino ac Sal-
 vatore potissimùm transigebat eique ut amanti

Jona-

Jonathæ redamans David cum ferventissimis amoris affectibus sublimem hanc suam conditionem & statûs eminentiam in acceptis referebat, condicens gratitudinem suam non Jubilo solum & mellitâ Bernardi, Augustini, aliorumque SS. facundiâ, sed congerens in eam quidquid uspiam & aliquando præstitisset aut præstare valeret redamantium erga amantes ingeniosapotentia; ampliùs per exhibitum sibi amorem orans & obtestans, ut ipse qui beneficij tanti Author extitisset, apud Patrem Æternum in referendis gratijs suam insufficientiam, totâ quantâ polleret facultate, complere dignaretur.

Secundâ die ad Augustam Cœli Reginam Virginem DEIPARAM, faciebat stationem, cui sicut Salomon per materna vota ad Regni folium evectus, fortis suæ præsentis tam honorificæ se debere felicitatem profitens, totus in ejus encomia & laudes effundebatur, utq; totû se in Unigeniti sui gratia conservaret, & quod in se immerito admirandâ pietate inchoâisset, illud magnificâ liberalitate consummaret orabat.

Tertiâ die Divinam Sapientiam conveniebat, tanquam eam, quæ ingeniosissimo commento, ut Rebecca Jacobo primigeniam benedictionem tantum de Divinæ Beneficentiæ bonis ac donis sibi procurâisset, cûmque in ea celebranda & prædicanda conaretur quidquid pos-

set postulabat ab ea edoceri congruam relationem gratiarum Largitori DEO exhibendam, & hanc infinitate ejus inde continuari, ubi finita sua virtus & potestas defecisset.

Quartâ Divinam Misericordiam accedebat, profitens tanquam captivus Joseph in prima post Regem in Ægypto dignitate constitutus, ejus miseratione factum esse, quod nec in obscuro ac tetro seculi carcere contabuisset, & in tantam cœlestis gratiæ lucem eductus eò demum evaserit, quo summa humanorum votorum potest ascendere. Pollicebatur insuper, se has ejus misericordias decantaturum in æternum, petebatque eas sibi prorogari & extendi ad constantem & nunquam interrumpendum partæ felicitatis usum ac fructum.

Quintam Divinæ providentiæ addicebat, à qua pro munere suo terras perlustrante, & turbidum mundanarum vanitatum torrentem prospectante, tanquam Moses aliquis submergens, è præsentissimo periculo ereptus, simile beneficium se consecutum confitebatur, in spem regni cœlestis hæreditandi, ad Regiam DEI domum translatus, cœlestibus in ea disciplinis instruendus, ac in Heroem cœlo, & filium Deo dignum formandus ac fingendus. In hujus potestate cùm se perpetuò futurum gratanter polliceretur, orabat consilijs ejus ac ductu dirigendum

tum in omnibus, tum ante omnia in gratijs DEO referendis, & in conservanda sua cum adoptantis DEI voluntate, ità ut nè in punctulo quidem vel ad momentum ab ea unquam discreparet.

Sextam Angeli Tutelaris adscito auxilio, novâ formâ gratiarum, ità peragebat. Cùm eum Joiadæ servatori Joas & ad Regale sceptrum promotori comparâsset, se verò libenter clientem ejus agnosceret, & statûs sui tam felicem mutationem ei quoque se debere non diffiteretur, postulabat ut hoc suis erga se favoribus adjiceret, & omnes beatarum mentium Hierarchias permoveret ad solennes Divinæ Beneficentiæ gratias, pro collato in se beneficio plenis choris & summa cum intensione laudum decantandas. Id verò cùm se obtinuisse existimaret, ipse cum eis quas poterat corde & ore DEI laudes personabat.

Septimæ Sanctum Ordinis sui Patriarcham ac Fundatorem cùm præfecisset, considerabat eum ut Daniel in Aula Babylonia, Præsidem Regionum Ephaborum, se verò, ut adolescentulum ejus providentiæ ac tutelæ in omnibus commendatum. tum ei clarè commemorans, quomodo in æterna prædestinatione eidem Patri filius ipse adjunctus fuisset, & quomodo à Providentiâ in tempore ejus institutis ac legibus

fit subiectus, & quomodo denique utriusque felicitas peculiari æterno nexu in beata æternitate sit constringenda. orabat ut cum tota Universitate Sanctorum, quos ex mortalibus habet Immortales, patria Beatorum, honorem, gloriam, laudem & gratiarum actionem tantam, quantam nossent & possent DEI magnificæ liberalitati adornarent pro collato sibi beneficio vocationis & adoptionis, speratæque & aliquando obtinendæ in cœlo hereditatis æternæ.

Ità ille *Quindenam* suam mirâ ex cœlo luce illustrabat, & præcellas ac magnificas filiorum DEI cogitationes de statu suo in animoolvebat, tum ut se à vilitate mundanarum fordium abstractus in altitudine purioris auræ conservaret, tum ad agendas æternali affectu gratias, pro adepto magnifico adoptionis, seu vocationis statu animaret. Ex quo pariter affectu, varia encomia Religiosi statûs excogitabat, ut se in sublimitate illa Divini Beneficij, ad audenda quæque maxima, extimularet, & magnalia DEI ob altitudinem statûs Religiosi, alijs deprædicaret. Hinc illi familiare, Religiosum statum, Regium quoddam Orphanotrophium & nosocomium dictitare, tutissimum, omnibûsque immunitatibus instructissimum, nullique omnino violabile asylum. hospitium item Divinæ benignitatis opulentiâ instructum, & sub regimine blandi-

dissi-

diffimæ humanitatis, gratis per omnia hospitaliter omnes acceptantis ac tractantis publicatum. Mercatum item quendam liberum ac liberalem, in quo sinê auro & argento, magnisque commutationibus, solâ mediâ bonâ voluntate, ad summas divitias, qui velint, adducantur. Et illustrissimum Æternæ Sapientiæ Collegium, in quo addiscuntur ea in terris, quæ scientes radiare faciant in cœlis. Et honorificentissimam Militiam, in qua generosè stipendia facientes, cum immortalis nominis gloria in cœlum triumphales invehuntur. Sed & basilicum quoddam vestibulum & Augustale atrium Curia cœlestis, & Aulae DEI omnipotentis, in quod qui se insinuare velit, non maximis, nec longissimis temporis industrijs ad familiaritatem Regis Regum ac Domini universorum, imò & ad amicitiam & cognationem possit pertingere.

Festum porrò Natalis sui, sive diei Vocationis & Adoptionis ad Religiosum statum, svadebat omnibus Religiosis celebrare. promittens singulis non dubia cœlestium gratiarum incrementa ad vocationis cursum feliciter continuandum & consummandum à *Patre Luminum* consequenda, si grati extitissent pro beneficio vocationis, provocâséntque piâ gratitudine propensissimam ad plura & majora largienda.

Divinam benignitatem. Urgebat verò etiam vehementer celebritatis hujus æquitatem tum profano ac vulgari exemplo hominum Natales suos, per quos mundo editi vivere simul & mori incipiunt, celebrantium; tum altero sacro & usitato Ecclesiæ, quæ Natalitia Sanctorum ex hac mortalitate ad cœlestem gloriam, & vitam immortalem translatorum festivis celebritatibus in memoriam revocat, non solùm ut eis felicitatem eam gratuletur, sed ut etiam pro ea DEO largitori cum ijs reponat, quas potest gratiarum actiones.

C A P V T XIII.

Quomodo spiritum suum renovare solitus fuerit, alijsque renovandum svaserit.



Um eximiè peritus rerum earum, quæ ad animam tractandam pertinent, sciret facilè in hac fluxa in malum ac segnitiam mortalitate veterascere posse spiritum; ideo semet frequenter excitabat, diebus certis, ad floridam spiritûs Juventutem. Spiritum porrò vocavit, eam Christi gratiam, quâ electi filij DEI animantur, & quâ excitante incipiunt, committante continuant,